

Ex Libris Joh. P. Juss.

Caroli Schöpfung



DE QVÆSTIONIBVS SEV
TORTVRA
DISPVTATIO

Quam

DEO OPT: MAX:
AVSPICE, AMPLISSIMO
IVRISCONSULTORVM COL-
LEGIO APPROBANTE

PRÆSIDE

NOBILI, CLARISSIMO, CON-
SULTISSIMOQVE VIRO, DOMINO
FRIDERICO MARTINI. I. V. D. S. Cæ-
sarei Palatij comite, necnon Sac: Cæs: Majest: & re-
liquorum Serenissimorum Austriae Archiducum
Consiliario &c. atq; in vetustissima Fribur-
gen: Academia Professore Canonum
Primario.

PROPONET TVERIQUE
conabitur.

Die 29. Maij HORA
locoq; consuetis.


LVCAS BRENNEIISSEN
Rottvvilanus.

FRIBV RGI BRISGOIÆ.

Ex Typographeo MARTINI BÖCKLERI.

Anno M. DC. IX.





**NOBILIBVS, AM-
PLISSIMIS, PRVDENTISSI-
MIS AC ORNATISSIMIS DOMINIS**

Consuli, Senatoribusque Imperialis Urbis Rottwilæ,
Dominis omni observantia colendis.



*Mnium propemodum tacito
consensu hac tempestate in lite-
rarum studio eo est deventum,
ut timido veluti ore in propatu-
lum quosdam prolaturi ingenij
conatus, illos eligant dedicando eadem speci-
mina iisdem qui auctoritate, amplitudine,
sapientia plurimum pollent. Quo in frequen-
tissimo instituto video quem locum obtineam,
thesibus meis eos praefigendo, qui dignitatis,
prudencia, virtutis veræq; laudis radijs co-
ruscantes facile benigni aestimatoris ac arbitri
trutinam augere possint. Itaq; primum hunc
foetum studiorum meorum in alma Juris-
prud. editum vobis viri amplissimi Domini-*

EPISTOLA

que obseruandissimi offero, cum quod mihi apprime cognita erga eiusmodi doctrinas ac studia insigni vestra voluntate ac incitata mente perspecta, eum arridenti vultu acceptaturos perpenderem, tum quod in tenera aetate orbatu Clariss. Domino meo parente pia memoria colendissimo qui primas tenerent quibus ratio aliqua huius temporis reddenda foret, quod partim humanioribus doctrinis, ac philosophicis scientiis ad metam eadem perducendo, partim in iuris utriusque acquirenda cognitione insumpsi, nisi vos communes Patria nostra charissimae Patres? Reliquum est VV. NN. ac D. D. consecratas amplissimo nomini suo hunc primum ingenij partum aequi bonique consulere, parentes, me, totamque familiam commendatissimam habere, omni ope, favore, studio prosequi, quod summis precibus oro, contendo, obsecro, illud ex animi visceribus intimis Deum Ter. Opt. Max. rogans quo VV. NN. ac D. D. ad clarum Reip. sedentes diu saluas incolumesque conser-

conseruet, ac tandem felicissime ad finem perducto huius vitae curriculo, munere interminati gaudij in caelis donet. Datae Friburgi 18. Maij. Anno.
1609.

Vestrar. NN. & DD.

obseruantissimus
Cliens

LVCAS BRENNEIISSEN
Iuris Vtriu. Stud.



THESIS I.



Væstio seu tortura definitur, quod sit in suspecto & infamato legitima veritatis inquisitio, per tormenta & corporis dolorem.

Litem apud Labeonem, § quaestionem. ff. de iur. Hyppol. de Marsil. in præf. n. 2. ff. h. t. Menoch. lib. 1. præsumpt. 1. n. 45.

II.

Ea ut secundum L. L. ac rectæ rationis dictamen exerceri valeat, complura, illaque diuersa requirit. Etenim ante omnia delictum admissum esse iudici debet constare. *A.* adeo ut etiam si reus confiteatur delictum se aliquod admisisse, non possit condemnari, nisi de ipso delicto aliter, quam ex eius appareat confessione. *B.*

A. l. 1. § item illud. ff. ad Syllan. Carol. constit. a. 6. Hypp. l. 1. n. 5. ff. h. t. Prosp. Farinac. in Theor. & prax. crim. lib. 1. q. 2. n. 3. B. Hyppol. d. l. 1. n. 7. Iul. Clar. lib. 5. recept. sentent. § fin. q. 4. in princip. q. 64. n. 3. Mynsinger. centur. 3. obser. 81.

III.

Diuersimode tamen. nam si delictum prolatum tale est, quod in solo intellectu & voluntate consistat, quid prohibet iusta reum condemnari sententia? cum ejuscemodi delicta non aliter quam propria confessione possint probari.

Clar. q. 55. n. 11. Farinac. d. q. 2. n. 25. Martin. Debr. Disquisit. Magicar. lib. 5. sect. 2.

IV.

At si delictum in actum externum, perniciemque erumpat, siue confessio sit generalis, siue specialis, siue criminis facti permanentis, siue transeuntis, nisi alia accedat pro criminis diuersitate informatio, ex hac sola confessione de crimine adducto pu-

to puniri nequit, quo sensu non sitæ definitionis intellectus exaudiendus est.

L. 1. § Diuus Senerus. & § si quis ultro. utrobiq. Hypp. ff. h. t. Brunor. d' Sole in singul. crimin. constit. n. 13. & seqq. Clar. d. n. 11.

V.

Huis accedit ad quaestionem minimè deueniendum esse magistratui in ijs criminibus quibus inuestigandis maior esset tortura, quam ipsa poena quæ pro delicto foret imponenda. unde quaestioni locum non concedimus in libero homine, nisi crimen inquirendum corporali poena coerceatur.

L. edictum. ubi Hypp. ff. h. t. Anton. Gomez. de delict. Tom. 3. c. 13. n. 2. Clar. q. 64. n. 4. VVessenbec. in paratit. n. 5. ff. h. t.

VI.

Ad torturam iudici tum demum est deueniendum quando nulla via veritatis inquirendæ facilius apparet, nam ea si præsto sit qua rei indagandæ status cognosci possit, ad tam miserandum subsidium conuolare non licet.

L. Diuus. ubi Hypp. l. edictum. ff. h. t. l. quoties. C. h. t. Carol. constit. poen. a. 8. Conar. practic. quaest. c. 23. n. 5.

VII.

Quo in puncto tres casus possunt discerni, nam aut delictum plene est probatum, ac hac specie nullæ aliæ sunt partes iudicis nisi in condemnando. *A.* aut non est ulla flagitij probatio in iudicium deducta, quo casu reus merito absolutionis gaudet sententia. *B.* aut legitimis indicijs ita oneratus est reus, ut semiplene conuictus criminis dici possit, ac tunc tortura in probationum subsidium jure adhibetur. *C.*

A. l. qui sententiam. C. de poen. B. l. absentem. ff. eod. l. 1. & fin. C. de custod. reor. C. l. cum cognitionaliter. l. milites. C. h. t. Farin. Lib. 1. q. 36. num. 224.

VIII.

Quapropter si de crimine commisso constet, ad iudicia erit

erit recurrendum, quæ nisi torturam præcedant, confessio nihil præjudicat.

L. vnicus. § in ea causa l. ult. ff. h. t. Carol. constit. a. 6. & 20. Clar. q. 64. n. 9. Mynsinger. centur. 5. obseruat. 23.

X.

Quod producitur vt si post huiusmodi confessionem nullis legitimis indicijs præcedentibus extortam, legitima indicia superueniant, inde tamen talis confessio neuiquam robur assumat.

Hyp. l. quæstionis habendæ. n. 13. ff. h. t. Clar. q. 64. n. 9. & q. 55. n. 14. Dec. l. quod in initio. n. 4. ff. de R. I. Mynsing. cent. 3. obs. 80.

X.

Idque obtinet non solum in grauibus, sed etiam grauissimis, seu exceptis criminibus. *A.* etsi minimè ignoremus facilius ad torturam in atrocissimis, quæ remotis arbitris perpetrata, difficilius sunt probationis procedendum esse. *B.*

A. gl. l. si quis alicui. C. ad L. Iul. maiest. Hyp. l. 1. n. 10. & 43. ff. h. t. Clar. q. 64. n. 9. B. Clvr. q. 64. n. 6. Farinac. Lib. 1. q. 37. n. 88.

XI.

Indicia legali solennitate sunt recipienda. nec enim satis est iudicem in summaria informatione testes recepisse, vt subijci quis possit quæstioni, nisi postea in plenario iudicio sint reproducti vt iuramentum, à testibus præstetur, parte citata, personasq; cognoscat.

Hyp. l. 1. n. 8. & II. ff. h. t. Gomez. d. c. 13. n. 21. Clar. q. 45. n. 13. Brunor. d. consil. n. 106.

XII.

Sciscitanti quod ad inferendam quæstionem indicia postulentur, sub distinctione respondemus. aut enim indicium proximum est maleficio, & vnicum sufficit, aut paulò remotius à delicto, & plura vt adsint opus est.

Hyp. l. 1. vlt. n. 4. ff. h. t. Clar. q. 64. n. 14. Farinac. d. q. 37. n. 43. seqq.

XIII.

Ex in-

Ex indicijs sufficientibus, legitime non probatis ad torturam procedendum non est.

Carol. constit. a. 6. 20. 18. 23. Clar. q. 64. n. 12. cum seq.

XIV.

Sufficientia ad quæstionem inferendam indicia, iudicis relinquuntur arbitrio, *A.* quod juri & æquitati consonum esse debet, *B.* & duplici sale scientiæ, & conscientiæ conditum. *C.*

A. Carol. const. a. 18. a. 24. Damhauder. in prax. crim. c. 36. arg. l. testium fides. §. quæ argumenta. ff. de testib. B. Hyp. l. quæstionis modum. n. 68. & 77. ff. h. t. Mynsing. cent. 6. obser. 97. C. vt ex Bald. refert Schneid. §. omnium. n. 22. Inst. de actionib.

XV.

Legitime probata dicuntur indicia, si adsit testis deponens de sensu aliquo corporeo, quo ipsum actum maleficij percepit. vnicus, omni major exceptione, *A.* si autem deponit de proximis delicti adminiculis, vel etiam remotis non tamen omnino remotis cum indicia urgentia, probabilia, clara esse debeant. *B.* duo omni exceptione majores testes desiderantur. *C.*

A. Carol. const. a. 23. Gomez. d. c. 13. n. 18. B. l. milites. C. h. t. Brunor. d. consil. n. 82. 135. seqq. C. Carol. const. jam d. a. 23. Menoch. de præsumpt. lib. 1. q. 91. n. 1. & 2.

XVI.

Porro testes de indicijs proximis deponentes, si sint singulares, nihil probant.

Gomez. d. c. 13. n. 18. Menoch. d. q. 91. n. 4.

XVII.

Nisi testes singulares omni exceptione majores de proximis ac ijs pluribus delicti indicijs deponant, quæ iudicis animum vehementer instruant.

Prosp. Farinac. de Indic. & Tort. Lib. 1. q. 37. n. 38.

XVIII.

Sufficientia indicia sunt. Si testis omni exceptione ma-

B

ior

ior de visu deponat. *A.* Si reus extrajudicium in specie crimen fateatur, *B.* Si ensis inquisiti sanguine madens penes cadauer reperiatur *C.* Si inculpatus tempore perpetrati homicidij cum veste cruenta & armis sit visus fugere e loco commissi delicti. *D.* Si res furtiua apud personam malæ vitæ reperiatur, quæ auctorem ostendere nequeat. *E.*

A. Carol. constit. a. 23. Gomez. d. c. 13. n. 7. B. a. 32. gl. l. capite quinto. ff. de adult. Clar. q. 21. n. 31. C. a. 29. Menoch. de præf. lib. 1. q. 89. n. 135. D. 34. Menoch. d. q. 89. n. 117. E. l. incivilem. ubi Sicheard. n. 6. C. de furt. Gomez. d. c. 13. n. 21.

XIX.

Prolatum indicium de confessione Sacramentali nihil probat.

Gomez. d. c. 13. n. 9. Damhaud. in prax. crim. c. 150. Menoch. d. q. 89. n. 26. Couar. de spons. 2. p. c. 8. §. 12. n. 10. Delr. Disqui. Magic. Lib. 6. sect. 2.

XX.

Anxie controuertitur num sufficiens homicidij indicium sit censendum, si ad præsentiam infamati è patulis vulneribus defuncti corporis sanguis profluat, & satis esse infitiamur.

Anton. Gomez. sape d. c. 13. n. 15. Delr. Lib. 5. sect. 4. indic. 20. De quo effluxu quadam videre est apud Levin. Lemn. de occult. natur. mirac. lib. 2. c. 7. Simon. Maiol. in Dieb. Canicularib. p. 1. colloq. 1.

XXI.

Multo minus admittimus indicium diuinatoris aut incantatoris de furto, aut alio crimine consulti, quin imo tales incantatores puniendi sunt.

Carol. constit. a. 21. L. item apud Labeonem. §. si quis Astrologus. ff. de injur. Petr. Binsfeld. de confession. malefic. 2. p. concl. vlt. dub. 2. Damhauder. c. 136. in fine.

XXII.

Confessio constituti in mortis articulo, qua de certa persona

se vulnus accepisse conqueritur, indicium sufficiens non inducit.

L. 1. §. si quis moriens. ff. ad Syllan. Couar. lib. 2. c. 13. n. 8. Clar. q. 21. n. 17.

XXIII.

Idem in casu exculpationis & purgationis est dicendum, nisi delictum legitimis modis, aut urgentissimis indicijs probatum sit.

Menoch. d. Lib. 1. q. 90. Couar. d. loco. Clar. q. 52. n. 6.

XXIV.

In criminibus non exceptis, socij delatio & confessio, nullum facit indicium ad torturam, et si qualem qualem præsumptionem producat.

L. f. C. de accusat. L. repeti. ff. h. t. Clar. q. 21. n. 7.

XXV.

In exceptis, si confessio generalibus verbis sit facta, nullus in specie torto propositus, omnes flagitij circumstantiæ diligenter inquisitæ, nulla reperiatur inter facinorosum & socium criminis inimicitia, ipse à socio inculpatus sit. persona suspecta, jure quæstioni locus est.

Carol. constit. a. 31. Clar. q. 21. n. 8. Binsfeld. d. 2. p. concl. 5.

XXVI.

His aut similibus adminiculis deficientibus nuda unius in exceptis criminibus denunciatio ad quæstionem infligendam sufficiens non est.

Hyp. l. 1. §. Divus Antonius. n. 6. ff. h. t. Binsfeld. d. 2. p. concl. 4.

XXVII.

Verum ut contra socium criminis nominans fidem faciat, duo requiruntur. prius est facta ratificatio post illatam torturam confessionis non solum principalis delicti, sed etiam depositionis socij.

Hyp. l. repeti. n. 36. ff. h. t. Farinac. Lib. 1. q. 43. n. 138.

XXVIII.

Alterum est ut cum juramento deponat se vere denunciare.

Gomez. d. Tom. 3. de delict. c. 12. n. 18. Clar. q. 21. n. 10.

XXIX.

Quod si duo in exceptis ejusdem criminis participes deponant, torturæ locum esse dicimus.

Clar. q. 21. n. 9. Binsfeld. d. 2. p. concl. 6.

XXX.

Dictum mandatarij aduersus mandantem per se solum facere indicium ad torturam imus infitias.

Mench. d. q. 89. n. 75. Binsfeld. d. 2. p. v. hic lubet. conclus. 5.

XXXI.

Existentibus paribus indicijs à parte accusatoris & rei torturæ locus esse non debet.

Carol. const. a. 28. Brunor. d. consil. n. 64. 148.

XXXII.

Amplius reo copia indiciorum exhibenda, ac interrogandus an suæ innocentiae argumenta habeat.

L. desertorem. § si ad diem. ff. de re milit. l. vnus § cogniturum. ff. h. t. Hypp. L. 1. n. 12. l. f. n. 8. ff. eod.

XXXIII.

Indicia proposita si diluere nequeat: est interrogandus de crimine commisso, adhibita comminatione nisi id confessus fuerit, tormentis veritatem exprimendam esse.

Carol. const. a. 46. Clar. q. 64. n. 31.

XXXIV.

Verum antequam ad hoc extremum probationis subsidium progrediatur iudex, maximopere perspicere debet, an persona ad delicti inuestigationem jure possit vel prohibeatur torqueri:

L. edictum. ubi Hypp. ff. h. t. l. milites. C. eod. Dambauder. c. 41.

XXXV.

Nam torqueri prohibetur Miles. A. Doctor. B. Decurio. C. in magna dignitate positus. D. etiam deposito officio. E. minor. 14. annis. F. senex decrepitus. G. mulier prægnans. H.

A. l. mi-

A. l. milites. C. h. t. B. Nicol. Euerh. in Locis Legal. Loco d. milit. armat. milit. n. 4. Hypp. l. edictum n. 8. ff. h. t. C. l. omnes. C. de decurion. lib. 10. l. Diuo. Marco. C. dignit. Lib. 12. D. l. Seneram. C. de dignit. Lib. 12. E. l. nihil. C. h. t. F. l. de minore. ff. h. t. G. l. 3. § signoscitur. ff. ad Syllan. Gomez. d. c. 13. n. 3. H. l. prægnantis. ff. de pœni.

XXXVI.

Prædicti in crimine Læsæ majestatis Diuinæ A. humanæ B. proditoris patriæ, Ciuitatum, Principum. C. Simonia. D. falsi. E. priuati carceris. F. maléficij. G. hoc priuilegio non gaudent, nisi debilitas aut ætas obstet. H.

A. Hypp. d. l. edictum. n. f. B. l. nullus. C. ad l. Jul. majest. C. l. desertorem. § is qui ad hostes. l. proditores. ff. de re milit. Binsfeld. l. eisi excepta. C. de malef. & math. D. gl. d. l. nullus. l. si quenuquam. C. de episc. & cleric. E. l. si quis decurio. C. de falsis. F. l. 1. C. de priuat. carcerib. G. d. l. etsi excepta. H. Gomez. d. c. 13. n. 3. Delr. lib. 5. sect. 9.

XXXVII.

Anne prædictæ personæ quæ de jure torqueri nequeunt terreri possint, vt saltem terrore illato veritas inuestigetur, dubitatur, & distinguendum censemus: aut enim propter ætatem seu corporis debilitatem prohibetur torqueri & terreri minis moderatis, aut temperato cruciatu posse affligi constat.

Gomez. d. c. 13. n. 4. per. l. 1. § impuberi ff. ad Syllani.

XXXVIII.

Aut reus gaudet prædicta immunitate seu beneficio alterius vt mulier prægnans, seu propria dignitate vt Doctor, & terreri non posse asserimus.

Gomez. d. num. 4.

XXXIX.

Exercenda tortura in præsentia iudicis, duorum assessorum, & Notarij, A. hoc adhibito moderamine, vt secundum grauitatem delicti indiciorum vehementiam, ætatis qualitatem, conditionem personæ non accusatoris requisitionem,

B 3,

nec

nec clementiæ, nec severitatis gloriam iudex affectet, sed cuncta perpenso statuatur iudicio. *B.*

A. Carol. const. a. 47. B. l. questionis modum l. de minore. § tormenta. vrbobiq. Hypp. ff. h. t. Clar. q. 64. n. 31. Damhauder. c. 36. n. f.

X L.

Iudex tormenta quæ magis vñitata ac frequentata cognoverit adhibere, & irrogare debet, vt corpus vel innocentia, vel supplicio salvum permaneat.

L. questionis modum. vbi Hypp. ff. h. t. Carol. constit. a. 59. Gomez. d. c. 13. n. 5.

X L I.

In questionibus ordo is est servandus, vt ab eo incipiatur quæstio qui timidior, cæterisq; suspectior apparet. *A.* vnde præfertur patri filius, *B.* vxor marito, seu scemina masculo. *C.* *A. l. 1. § 2. l. vnus. ff. h. t. B. Hyppol. d. l. 1. n. 103. ff. h. t. C. Dec. l. 2. n. 43. ff. de R. I. Couar. de spons. 2. p. c. 3. § 4. n. 10.*

X L I I.

Adhibebit iudex interrogationes generaliter conceptas, in specie an *L. Titius* delictum commiserit non interrogabit, ne in particulari rogans suggerentis magis quam inquirentis fungatur officio.

L. 1. § qui questionibus. ff. h. t. Gomez. sape cit. c. 13. n. 23.

X L I I I.

Errant itaque peccantque grauitur iudices, qui de se confessos super aliorum interrogant conscientijs. *A.* nisi in exceptis verlemur, itemque ij qui reum de alijs delictis super quibus nulla extabant indicia quæruunt, quasi generalem totius vitæ confessionem excepturi. *B.*

A. contra l. f. C. de accusat. B. Binsfeld. d. 2. p. init. v. quando autem Clar. q. 64. n. 45.

X L I V.

In exceptis iudex interrogare, & reus respondere cogitur de complicibus, si illorum scelera in futurum imminere præsumat,

sumat, *A.* cuiusmodi sunt læsæ maiestatis *B.* hæresis, *C.* Latrocinij, *D.* falsæ monetæ, *E.* prodicionis *F.* conjurationis, *G.* maleficij. *H.*

A. Martin. Azpilcuet. in enchirid. c. 18. n. 58. Binsfeld. d. 2. p. in princ.

B. l. quisquis. C. ad L. Jul. maiest. C. c. in fidei fauorem. de hæret. in 6.

D. l. Divus ff. de custod. reor. l. pen. C. de fer. E. l. f. C. de fals. mon.

F. l. pen. & f. C. ad L. Jul. maiest. G. c. vlt. de testib. cog. l. f. C. de malef. H.

X L V.

De furto numi exceptis sit annumerandum dubitatur. nisi famosus sit fur, aut furtum sociorum circumstantijs aggravatum, de exceptis non esse verius censemus.

Binsfeld. d. 2. p. init. v. dubium hic. Farinac. d. q. 43. n. 45.

X L V I.

Accepta confessio diligenter conscribenda est, *A.* ejusque copia accusatori danda, *B.* circumstantiæ confessioni adjectæ studiose examinandæ, num veritati consonæ sint. *C.* in ijs si falsitas deprehendatur quæstio repeti potest. *D.*

A. Carol. const. a. 58. 47. 53. B. a. 47. C. a. 54. D. a. 55.

X L V I I.

Tamen quod diximus confessionem torti esse excipientiam intelligimus non de ea quam in tormentis positus protulit, sed quam remissa tortura iudicis iussu fecit.

Carol. constit. a. 58.

X L V I I I.

Iudicis officio incumbit, vt confessionem quæstionibus extortam post duos aut plures dies reo curet prælegendam, de super ejus inquirat responsionem, *A.* namque nisi confessio extra tormenta ratificata fuerit, ad condemnationem non sufficit. *B.*

A. Carol. const. a. 56. Clar. q. 64. n. 41. B. l. § questionibus. ff. h. t. Clar. q. 64. n. 40.

X L I X.

Judici falsis promissionibus, mendacijs, dolove improba-
to confessionem è criminoso elicere, ac ex ea reum condem-
nare non licet.

Couar. resol. lib. 1. c. 2. n. 16. Binsfeld. d. 2. p. concl. ult. dub. 3. Delr. d. Lib. 5. sect. 10.

L.

Testis infamis siue juris, siue facti infamia, in criminali-
bus absq; tortura non admittitur.

*L. ob carmen. § si ea rei conditio. ff. de testib. Sichard. l. 1. § ne autem
perperam. n. 5. et 6. C. de juram. propt. cal. dan. Clar. q. 25. n. 2.*

L I.

Similiter testis qui facto interfuit, asserens de rei gestæ
veritate se nihil scire. *A.* varius, vacillans, ac contrarius deponit
B. negat se perpetrato adfuisse delicto, cum præsentia per alios
sit conuictus testes quæstionibus subijci potest. *C.*

*A. L. vnus. § testes. ff. h. t. Dyn. c. sine culpa. n. 6. de R. I. in 6. B. l. ex
libero. ff. h. t. C. Gomez. d. c. 13. n. 29.*

L II.

Porro servus, filius, frater, libertus contra Dominum *A.*
patrem. *B.* fratrem. *C.* patronum. *D.* & is in quem invitus testi-
monium dicere non cogitur torqueri non debet. *E.*

*A. l. 1. § Divus Antonius. l. vnus. ff. h. t. B. l. parentes. C. de testib.
Vvesenb. in parati. n. 10. ff. h. t. C. d. l. 1. § nec fratrem. D. d. l. 1.
§ sed nec libertum. E. d. § nec fratrem. vbi Hypp.*

L III.

Quando testis in tortura dicit contrarium ejus quod ex-
tra torturam dixerat, denunciationi in tortura factæ stan-
dum est.

Hypp. l. repeti. n. 16. ff. h. t. Farinac. Lib. 3. q. 66. n. 165. seqq.

L IV.

Testis si dicit primo vnum extra iudicium, deinde in ju-
dicio deponit contrarium ejus quod extrajudicialiter dixerat,
secun-

secundæ depositioni est standum. *A.* sin vice versa, priori dicto
fides adhibenda est. *B.*

*A. Couar. resol. lib. 2. c. 13. n. 7. Mynsing. cent. 6. obs. 14. B. Gail. lib. 1.
obs. 104. n. 7. Clar. q. 53. n. 12.*

L V.

Quod si testis in vno iudicio jurato deponat contrarium
eius quod in alio iudicio mediante juramento deposuerat, pri-
mam depositionem hac fidei prærogatiua munitam cense-
mus.

Mynsing. cent. 2. obs. 86. Clar. q. 53. n. 13.

L VI.

Testis in eadem instantia & examine contrarias ponens
testificationes nihil probat.

*L. qui falso vel varie. ff. de testib. c. licet causam. de probat. Couar. d.
c. 13. n. 8. et ceterum.*

L VII.

Si testis ex interuallo absq; iusta retractatione in diuersis
eiusdem instantiæ examinibus contraria dicit, perjurus est, &
falsi reus, cæterum priori depositioni iudex fidem aliqualem
accommodabit.

L. eos qui. ff. ad L. Corn. de fals. Couar. d. n. 8.

L VIII.

Iudex accusatorem vel reum se ad standum in tortura
offerentem, audire non debet.

*Hyppol. l. pen. n. 4. ff. h. t. Andr. Gail. de pace publ. lib. 2. c. 2. n. 15. Clar.
q. 63. n. 7.*

L IX.

Reus qui legitimis præcedentibus indicijs sufficienter
fuit tortus & nihil confessus, nisi noua superueniant indicia est
absoluendus.

Hyppol. l. repeti. n. 10. ff. h. t. Gomez. d. c. 13. n. 26. Clar. q. 64. n. 38.

C

Quod

L X.

Quod si confessus fuerit delictum, & ductus ad ratificandum reuocauerit, jure quaestio repeti potest.

Carol. const. a. 57. Hypp. l. repeti. n. 11. Gomez. d. n. 26. Clar. q. 21. n. 36.

L X I.

In tormentis positus si crimen fateatur, ijs solutus neget, ultra tertiam vicem quaestionibus subijci non debet.

Hypp. d. l. repeti. n. 14. Gomez. d. c. 13. n. 27.

L X I I.

Extra torturam criminis confessionem ratificans, ac in ea perseuerans, iudicis sententia ad poenam delicti condemnandus est.

L. qui sententiam. C. de poen. l. de his quos tenet. C. de custod. reor. Carol. constit. a. 60.

L X I I I.

Absolutus à crimine reus definitiue aduersus accusatorem ad omnes sumptus, damna, injurias sine strepitu & figura iudicij vel coram eodem, vel ordinario accusatoris iudice intendere valet actionem.

Carol. constit. a. 99. a. 12.

L X I V.

Iudex qui dolo aliquem iniuste quaestione afflixerit, ac in ea quis mortuus fuerit, capitali poenae subijciendus est.

L. penult. ff. ad L. Jul. repet. Gomez. saepe alleg. c. 13. n. 6. Clar. q. 64. n. 1. & 37.

L X V.

Sin vero culpa potius aliquem indebite quaestioni subijcerit, pro qualitate culpae poena arbitraria est afficiendus.

Gomez. & Clar. dicta locis. Hypp. l. 1. num. 4. l. quaestiois modum. num. 77. ff. h. t.

L X V I.

Illam tamen solum obiecta rei intentio, quod is discussa causa innocens sit repertus, si alias seu dolo, seu culpa nihil

com-

missum fuerit, justamque actor accusandi iudex torquendi causam habuerit, neminem constringet, cum secundum L L, quis non solum à facinore sed etiam ejus vel leuissima suspitione, illibatam sese gerere debeat, damnumque quod quis sua culpa sentit, sibi imputare conueniat.

Ita clarissime statuit Innocentius, imperator felicis recordationis Carol. V. in sua const. poen. a. 61. a. 201. facit l. quod quis. ff. de R. I. c. damnata ubi Dynius. de R. I. in 6.

L X V I I.

Reo ad mortem condemnato tribus diebus ante executionem est facienda denunciatio quoad mortem se praeparet, confessionem peccatorum Sacerdori faciat, nec augustissimum S. S. Eucharistiae Sacramentum vere poenitenti est denegandum.

Carol. const. a. 97. Syluester in summa. v. Eucharistia. 3. q. 7. Binsfeld. d. 2. p. concl. ult. dub. 5. ubi subiungit pro damnatis ad supplicia posse sacrificia offerri, & quorundam iuxta Carol. constit. d. a. 79. tollit ab usum, qui reos ut conferrent vino obruant, ut corpore & animo salutis immemores moriantur, Damhauder. c. 105. Clar. q. 99. n. 3. Delrio. d. sect. 18. lib. 5. c. quaesitum. 13. q. 2. c. super hic. de haeret. in 6. modo inter sumptionem & executionem quatuor intercedant hora. Delr. d. loco & lib. 6. sect. 3. c. 1.

L X V I I I.

Condemnatio si ad ignem fuerit inflicta mitiorem eligentes sententiam, tutius censemus eam non viuis sed compressis prius faucibus ac strangulatis inferendam, ne lenta mors in desperationem, aut aliud deducat periculum.

Coñar. lib. 2. resol. c. 10. n. 9. limitans n. 10. in haeretico qui pertinaciter in sua haeresi immotus persistit, Clar. q. 99. n. 7. Binsfeld. d. concl. ult. dub. 4.

L X I X.

Sepultura condemnati etsi iudicis licentia non impetrata prohibita sit, eadem tamen accepta per cognatos fieri potest.

C 2

L. I. li.

L. 1. l. vlt. ff. de cadaver. punit. Gomez d. T. 3. c. 14. n. 8. Couar. lib. 2. c. 11. n. 11. Clar. q. vlt. n. 1. Debr. lib. 5. sect. 16. Hostiens. in sum. de sepult. num. 4.

L X X.

Corpora damnatorum possunt Medicis & Chirurgis dari ad anatomiam iudice hoc concedente, cujus auctoritas ac placitum ubiq; est attendendum.

Sylvester in summa. v. Medicus. q. f. Clar. q. vlt. n. 2. arg. l. quod Reif. ff. de injur. Anton. Gomez d. c. 14. cum addit. Emman. Soar. lit. c. vbi subjungit Gomez a regali consilio Salmanticae consultum, & ita conclusum ab Vniuersitate fuisse.

F I N I S.

